www.e-rara.ch

Theatrum orbis terrarum

Ortelius, Abraham

Antverpiae, 1603

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: T 33

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-92309

Pontus Euxinus.

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

PONTVS EVXINVS.

MARE quod hîc deſcribendum ſuſcepimus, (Argonautarum & aurei velleris fabula à priſcis ſcriptoribus nobilitatum) ſub variis nominibus apud auctores memoratum legimus PONTVM per excellentiam, & PONTVM AXENVM priùs, quaſi inhoſpitale, & poſtea EVXINVM vocatum, Plinium, Ouidium, alioſque teſtes habemus. PONTICVM mare, ſine cognomine appellant alij, vt Strabo, Tacitus, Plutarchus, Ptolemæus, & Iornandes. & PONTI Mare Lucretius, à Ponto nimirum regione illi adiacente. Eadem de cauſſa SARMATICVM & SCYTHICVM à Val. Flacco, Ouidio & Martiano: AMAZONIVM à Claudiano: CIMMERIVM ab Herodoto & Oroſio: TAVRICVM à Feſt. Auieno, ab accolentibus populis ſic dictis, appellatur. A Colchide regione huic ab Oriente vicina COLCHICVM nominat Strabo: CAVCASEVM à monte, Apollonius: & PHASIANVM à flumine ſe in illud exonerante, Ariſtides. Sed & TANAIM dictum à Gothis annotauit Procopius. ineptè autem, & non verè, vt ego iudico. Huic mari (ſiue veriùs ſinui) omnes ferè priſci, arcus Scythici intenſi formam tribuunt: ita vt neruus referat dextram eius partem: à faucibus quæ ſunt circa Bizantium vſque ad intimum eius ſinum verſus Phaſim fluuium. nam excepto Carambi promontorio totum reliquum littus exiguos habet proceſſus & receſſus. ita vt rectæ lineæ haud multum ſit diſsimile. Alteram partem, ſiniſtram nempe ſeu Borealem cornu conferunt. quod habet duplicem flexum: ſuperiorem magis rotundum, inferiorem magis rectum. quam formam accuratè docet noſtra hæc tabula. Habet hoc mare etiam duo promontoria: vnum Auſtrale, nomine Carambis: alterum Septentrionale, quod Frons Arietis dicitur: quæ duo ſibi mutuo oppoſita cùm diſtent ab inuicem circiter duobus millibus & quingentis ſtadiis, vt Ammianus & Euſtathius teſtes ſunt: quæ etſi efficiant 312. M. P. tamen tantùm CLXX. M. P. ait Plinius, ſiue vt Strabo habet, quantum nauis ad tertium diem conficere poteſt; adeò tamen vtrimque aut ex Oriente in Occaſum, ſiue ex Occaſu in Orientem nauigantibus vicina ſe oſtendunt, vt illis finis maris ibi eſſe videatur, bimarimque Euxinum exiſtiment. Cùm autem in medio horum peruenerint, tunc apparet illis reliquum, quaſi ſecundum mare. Ambitum ſiue circuitum littoralem huius viginti quinque millibus ſtadiorum facit Strabo: 22. millib. Polybius. hunc numerum minuit duobus millibus Ammianus: idque ex Eratoſthene, Hecatæo, & Ptolemæo, vt ipſe addit. Herodotus, huius oculatus teſtis, ſcribit ſe eius longitudinem vndecim millium ac centum ſtadiorum dimenſum: latitudinem verò (quà latiſsimum eſt) trium millium ducentorum. (illudq. θαυμασιώτατον & maximè ſpectatu dignum prædicat. Hanc menſuram Strabo & Plinius lib. 4. cap. 12. diſtinctiùs ex ſua atque aliorum ſententia enumerat. Quadraginta circiter flumina ſe in eundem exonerare ſcripſit Strabo. multo autem plura habet hæc noſtra tabula. Vetuſtas credidit hoc ex noſtris maximum, & orbis hîc, vt ibi apud Gades extra Herculis columnas, terminum; eſſeque prorſus innauigabile, cùm propter eius vaſtitatem, tum propter barbaras gentes eius littora infeſtantes, eorumque in aduenas peregrinos crudelitatem. Hinc illa huius maris ſiue Ponti apud veteres poëtas epitheta. Vaſtum & trucem, vocant Virgilius & Catullus. immenſum, minacem, Ouidius. voracem & dubium, Lucanus. rabidum Silius. vagum, ventoſum, Statius. arduum Val. Flaccus. horrendum, infeſtum, & quoque veſanum, Manilius. inſanum & aſperum, Seneca. raucisſonum, Feſt. Auienus. Atque hæc de nomine, forma, & magnitudine. De eius ſitu & natura, etſi multa (vt ceteros taceam) Herodotus, Pomponius, Strabo, Polybius, Plinius, Ouidius, Macrobius; nemo, mea ſententia, accuratiùs Ammiano lib. 22. quem, qui volunt, huc adducere poſſunt. neque his ſatiatus, addat integrum de hoc mari libellum ab Arriano conſcriptum: & in eundem Scholia ampliſsima Stuckij. Nos pauca huius máris peculiaria hinc inde ex veterum monumentis excerpta annotare, contenti erimus. Dulce eſſe, aut ceteris ſaltem dulcius; leuius quoque; & nunquam refluere, ſed vnum labendi conſeruans vſque tenorem, Lucretius, Macrobius, Plinius, & Ouidius auctores ſunt. eamq. cauſſam eſſe puto quòd interdum totum congeletur. hoc enim aliquando contigiſſe, apud eundem Ouidium, Marcell. Comitem, alioſque me legiſſe memini. Candidius eſſe ceteris maribus ſcribit in Problematib. Ariſtoteles. Non gignere mollia neque teſtacea, niſi raro & perpauca, ſcribit Aelianus in Variis. Non alere cetos, tantùm phocam gracilem, & delphinum minutum, Plutarchus in Moralibus tradit. Nullam intrare beſtiam piſcibus maleficam, præter vitulos, & paruos delphinos, Plinius. Quadraginta circiter amnes in illud influere, perhibet lib. 7. Strabo. Sed multo plures ſe in eodem exonerare, apparet in hac noſtra Tabula. Vrbes in huius littore aliqua celebri nota inſignes ſunt Bizantium: de qua hîc nihil addimus, quia ſuperiùs in Thraciæ tabula eam pro loci menſura ſatis diffusè conſcripſimus. Tomos, nobilis poëtæ Ouidij exſilio clara. Boryſthenes quæ Olbia & Miletopolis, de qua multa, (vt alios ſileam) apud Dionem Pruſeum, Oratione XVI. Dioſcurias, quæ & Sebaſtopolis, à Caſtoris & Pollucis aurigis, ſi fabulis creditur, conſtructa. Hæc quondam adeò clara, referente ex Timoſthene Plinio, vt in eam CCC. nationes, quæ diſsimilibus linguis vterentur, deſcenderint. & poſtea à Romanis CXXX. interpretibus negocia ibi geſta fuerint. Aliæ multæ ſunt, ſed minùs celebres, vt Trapezus, Ceraſus, Pharnacea, Amiſus, Sinope, Heraclea; & è regione Byzantij, vnde incepimus, vrbs libera Chalcedon. Occidentalem huius maris oram Thraces tenent. Auſtralem Aſiatici habitant. vt Bithyni, Galatæ, Cappadoces. Colchi Orientale littus occupant. Septentrionalia in vniuerſum tam Europææ quàm Aſiaticæ, Sarmathæ ſiue Scythæ, pluribus gentibus diſtincti. inter has, qui inde nomen trahunt, Tauroſcythæ: & horum Cherroneſus, quæ Scythica & Taurica cognominatur. Ponticam hanc eandem Cherroneſum appellat Appianus: quam Plinius quondam mari circumfuſam addit. Forma & magnitudine hæc Peloponneſo comparatur. Coniunctam hanc aliquando continenti CCCLX. ſtadiorum iſthmo, ex aliorum traditione, ſcriptum reliquit Strabo. Regio eius verſus Metopon, ſiue Arietis frontem aſpera, montoſa, & proceloſa Aquilonibus. Circa Theodoſiam (vrbs portu centum nauibus recipiendis apto) agro fertili eſt. Bulbos hîc adeò dulces naſci ſcribit Athenæus, vt crudi comedantur. Eſt in hac Cherroneſo Beroſus collis, in quo, teſte Plinio, tres fontes, ſine dolore, ſine remedio mortiferi. Huius Beroſi olei meminit Plutarchus in Tanai, quod indigenæ ex planta quadam Halinda dicta contuſa exprimunt. eoque ſe vngentes, calefacti, frigus ſine moleſtia perferunt. Idem refert Phryxam herbam naſci circa Boreæ antrum: quam ſi habuerint priuigni, nihil patientur iniquum à nouercis. Hæc herba niue eſt frigidior: vbi verò à nouercis fiunt inſidiæ, flammas effundit: imminentium periculorum ac timorum neceſsitatem deuitant. Atque hæc de hac Cherroneſo.

Qui fabulis, poëtarumque figmentis ad hunc Pontum attinentibus delectantur, Medeam Senecæ, & Iphigeniam Euripidis adeant: alioſque Argonautarum nauigationum, aureique velleris veteres ſcriptores. Priuſquam autem ex hoc Ponto enauigauero, addere lubet hoc ex Ioſepho Antiq. 9. cap. 11. Ionam nempe Prophetam à ceto circa Iſsicum ſinum deuoratum, poſt triduum viuum & illæſum, in hoc Euxinum mare reuomitum. fides ſit penes auctorem. Lamiam piſcem (vt & hoc obiter hic addam) fuiſſe, vult Rob. Conſtantinus in Supplemento L. Latinæ. De Mæotide plura qui velit, adeat præter cæteros Geographos, Polybium 4. & Ariſtotelem Meteorolog. 1. ad finem & 2. initium. Eius longitudinem ad ſex millia ſtadiorum extendi, ſcribit Themiſtius Euphrada. Inſulæ in hoc mari paucæ, nec omnes cultæ, quarum habitantibus caro magnorum piſcium ſole ſiccata, & in puluerem vſque contuſa, pro farre eſt, quia teſte Pomponio, pabula haud largè ferunt.

SCYTHIAE, SIVE SARMATIAE EUROPAEAE PARS.
SEPTENTRIO.
Ex conatibus geographicis Abrahami Ortelij.
ΠΟΝΤΟΣ ΕΥΞΕΙΝΟΣ.
PONTVS EVXINVS.
Aequor Iasonio pulsatum remige primum.
Cum Priuilegio Imp. Reg. et Belgico, Ad decennium. 1590.
MAEOTIS PALVS:
Quam Scythiæ gentes circundant vndique ripis,
Et matrem Ponti perhibent Mæotidis undam.
Rypaei montes, ad Tanais usque originem.
SARMATIAE ASIATICAE PARS.
PONTVS EVXINVS. Sed, Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.
TAVRICA, QVAE ET SCYTHICA CHERSONESVS
Carcinites, qui et Tamyraces Sinus.
HYLAEVM Mare.
SCYTHIA PARVA.
Sagaricus sinus.
BOSPORVS CIMMERIVS.
CAVCASEVM MARE.
PHASIANVM MARE.
GALATIA, QVÆ ET GALLOGRAECIA. Cuius incolæ Buccellarij.
CAPPADOCIA.
PONTVS POLEMONIACVS.
PONTVS CAPPADOCICVS.
PROPONTIS.
THRACIA ASIATICA.
BITHYNIA.
Paphlagonij.
Heneti.
Mariandyni.
Tibareni.
Mosynoeci.
Chalybes.
Macrones.
THIANNICA Regio
ARMENIAE PARS.
COLCHIS.
Heptacometæ.
Moschici montes.
Heniochi.
Suani.
Zicchi.
Achaei.
Cercetij.
Mardi.
Sanegæ.
Metibi.
Conapseni.
Arichi.
Cares.
Gynaecocratumeni.
Tanaitae.
Sargatii.
Exobigitæ.
Roxolani.
Racalani.
Osili.
Laxij.
Hamaxobij, qui et Hamaxobitae.
Basilides.
Chuni.
Nomades.
Amadoci.
Callipidae.
Georgi.
Nauari.
Torreccadæ.
Iazyges.
Borysthenitæ.
Basternæ
Vrgi
Tagri.
Carpiani.
Bodini
ANTII, ANTÆ, et ANTES.
Tyrangitae.
Eneocadlae.
Tauroscythæ.
Coretus sinus.
Bosporani.
SINDICA.
Tauri.
GETAE.
DACIAE PARS.
Getarum solitudo.
Bastarnæ
PONTVS.
Troglodytae.
MOESIA.
THRACIAE PARS.
Salmydessus sinus.
OCCIDENS.
ORIENS.
MERIDIES.